

# De Speciebus Suppositionum.

41

1. Quid sit? R. SUPPOSITIO UNIVERSALIS est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis copulativè enumerandis. id est, per conjunctionem copulativam copulativè sumptam, hoc est, connectentem integras enunciations. Ita sumitur Subjectum hujus propositionis, *Omnis homo est animal*, sic etiam explicatur, *Johannes est animal*, & *Petrus est animal*, &c. ubi conjunctio copulativa & connectit integras enunciations.

UNIVERSALIS ABSOLUTA, ubi nulla intelligitur exceptio.

Universalem de qua 3. not.

2. Quotuplex?  
R. Suppositio univers. est

1. vel UNIVERSALIS ACCOMMODA, ubi aliqua intelligitur exceptio: ut hic *Cælum tegit omnia*, sc. præter se.

UNIVERSALIS PRO GENERIBUS SINGULORUM, per quam vox accipitur pro omnibus generibus seu speciebus, non autem pro omnibus individuis. Hoc modo sumitur Subjectum illius propositionis: *Omne animal fuit in arcâ Noe*.

UNIVERSALIS PRO SINGULIS GENERUM, per quam vox sumitur pro omnibus suis individuis.

3. Regula. 1. Subjectum enunciationis universalis affirmativæ sumitur universaliter,  
2. Utrumque extremum enunciationis universalis negativæ, & prædicatum particularis negativæ sumitur universaliter.

Copulatam, de qua not.

1. Quid sit? R. SUPPOSITIO COPVLATA est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis copulatim enumerandis. Id est, per conjunctionem copulativam copulatim sumptam; hoc est, non connectentem integras enunciations, sed terminos simplices. Ita sumitur. Subjectum hujus propositionis, *Omnia elementa sunt quatuor*.

2. Regula, Subjectum propositionis, cuius prædicatum est vox numerum significans, sumitur copulatim.

Determinatam, de qua not.

1. Quid sit? R. SUPPOSITIO DETERMINATA est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis disjunctivè enumerandis. Id est, per conjunctionem disjunctivam disjunctivè sumptam, hoc est, connectentem integras enunciations.

2. Regula. Utrumque extremum propositionis particularis aut indefinitæ affirmativæ, & subjectum negativæ, sumitur determinate.

Confusam, de qua not.

1. Quid sit? R. SUPPOSITIO CONFUSA est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis disjunctim enumerandis. Id est, per conjunctionem disjunctivam disjunctim sumptam, hoc est connectentem simplices terminos, non vero integras enunciations.

2. Regula. Prædicatum propositionis universalis affirmativæ sumitur confusè,

In argumentatione non licet mutare genus acceptioñis. Id est, non licet unam & eandem vocem semel accipere materialiter, & semel simpliciter personaliter, &c.

IV. Regula.

2. Non licet procedere à non distributo ad distributum. Id est, non licet aliquem terminum, qui in antecedente non sumitur universaliter, ponere in consequente universaliter sumptum:

F 3

HM.